DOMINICI RONCALLII

PROTHONOTARII APOSTOLICI
S.R.M. POLONIÆ, & SVETIÆ Secretarij
Philosophiæ, ac Sacræ Theol. Doct.

EX ACCADEMIA HVMORISTARVM
PANEGYRIS.

In laudem Polonorum
Illustrissimo D. D. ADAMO CASANOVIO
Supremo Regni Poloniæ Dapifero
Præfecto Borissouiensi, &c.
DICATA.

Habita Romæ in eadem Accademia Humoristarum,
Præsentibus Eminentissimis, & Reuerendissimis DD.
D. COSMO Cardinali de TORRES,
ac D. FRANCISCO Cardinali BARBERINO,
atq; Illustriss. & Excell. D. D. GEORGIO OSSOLINIO
Comite de Thenzin, Thesaurario Cur. Regni Poloniæ,
ac Regio ad Sanctissimum D.
D. VRBANVM VIII. PONT. MAX.
Et Serenissimam Rempublicam Venetam
ORATORE:

Cui adiectæ sunt aliæ insignes scriptiones doctissimorum Accademicorum tunc temporis ibidem præsentium.



Romæ, apud Franciscum Caballum. 1633. Superiorum permissu.

ILLME D. D. COL.^MR





ARMATICAE Nobilitatis laudes, quarum magna pars es, ad te properant Illustrissime Domine. In his quantumuis obscuris tenuissimæ eloquentiæ characteribus, nescio quomodo aliorum oculis affulserint. Sanè Roma quæ benigno quodam influxu tota nunc in Amorem Nationis effunditur, atque Excellentiss. Domini Oratoris magnificentiam Triumpho contulit, huic quoque saltem argumento nobili Romana Humanitate plausum excitauit. Equidem tibi deuotus id qualecumque obsequiorum meorum testimonium in tuo sinu depono, vt saltem hoc grati animi monumentum penes te, Beneficum datorem semper existat. Perge Magnanime, meque redeuntem ad Aulam, vt soles, tuo patrocinio foue, Romæ 23. Decembris 1633.

Illustrissimæ Dominationis Tuæ

Humillimus, ac deuotiss. seruus, & cliens

Dom. Roncallius Sac. R. M. Sec.

PANEGYRICVS IN LAVDEM POLONORVM.



Eptentrionalem illam plagam, quam olim dixere Veteres plurima nemorum opacitate incultam, ac perpetuo frigore non habitatam, nemo est (dūmodo illam curiosius ac pęnitius inuestigarit) qui neget, hoc tēpore incredibili Cereris vbertate feracem, ac legum, & morum, eorumq. omniū, quæ ad liberè, quę ad benè, beatèq. viuendum cōducunt, institutione fęlicissimā. Ego sanè postquā decennali, & amplius obseruatione, tum in Aula, tum in castris Florētisśimæ Regionis statum sum intimè contemplatus, in Patriā redux detineri non potui, quin huiusmodi verū humanæ Beatitatis speculum ad oculos celeberrimi huius cōsessus, vbi olim prima teuuisśimi ingenij mei rudimenta benignè audientibus exhibueram, denuò proferrem. Debebatur etiam hoc qualecūq; de tota tam præclaræ Nationis Nobilitate benemerētis officium, vt ipsius venustatem, decorēq., quo cęteris fortasse Nationibus pręlucet, ac me saltem aureo cōpede captiuum detinet plaudenti iam Romæ proponerem. Hanc igitur Sarmatiā olim, nunc vero recētiori vocabulo Poloniam appellatam, vidistis nuper quam amplam, quā honorificam ad hanc Vrbem Reginā gentium in humili sui obsequio, ac sacra Sūmi Pontificis veneratione triumphās, Legationem expediuerit. Admirata est Roma superbæ gazę magnificentiam, atq; apparatum verè Nobilisśimum, ac triumphalem. Equorum phaleras, ac reliquum ornatū auro, gemmisq. refertum, ipsos Equos ad sistendam effusam hostium fugam pernices: varia atq; inusitata armorū genera, Persarum acinaces, ac Thracū,

Parthorũue ſagittãs,illas,inquam,adeo olim Romanę virtuti terribiles,nunc communi fędere Religioni ſeruientes. Verũ ij,quorum mentem altior cogitatio erigit,contemplabantur in tam regali pompa ſub prætioſa veſte magnanimã gentis Indolem,ingẽtes animos,fortia pectora,inuictum robur. Ea, inquam,pectora, quæ ſola in patentibus Ruſſiæ Campis toti Chriſtianæ Reipub.murum faciunt,ac feroces Turcarum,ac Tartarorũ impetus continuò retundunt. Hic ille eſt ſanguis, qui huiuſmodi Chriſtianorum vallum munit,atq; hoſtem,ne traijciat,repellit. Hoc eodem Heroes fortiſſimi ſępe ad nitorem reuocant decoloratas Maiorum ſuorum imagines, cũ ſub tam læta purpura domeſticam funeris pompã, depoſito luctu libentius conuiuijs,choreisq. traducunt. Enimuero for titudinẽ ſtrictè adeo cum pietate cõiungunt,vt dum pro Religione fortiter mori non dubitant,per arma,non ad hoſtiles muros,ſed ad cęleſtẽ totis animis aſpirent æternitatẽ. Tuentur propria,ac fortaſſe pertæſi, quod olim Germaniã, Italiã, Galliam,Hiſpaniam vſq; Africam ſubita irruptione non ad propriæ Regionis lucrum,ac gloriam, ſed ad gẽtium ruinã, ac miſeriam peruicerint,ac deuaſtarint,nunc demũ magnanima virtute non inhiant:ſed negligunt aliena. Regem habent,non quem naturæ neceſsitas : ſed quem ſumma rerum bene geſtarũ gloria, quem externorũ Principum, ſuorumq. Senatorũ præconia,quem populi plauſus,atq; vniuerſæ Reipub. fauor probauerit. Regem verè fęlicem,atq; ad populorum amorem datum,poſtquã ad inſtar Apum(Nobiliſſimũ, ac verum hodiernę Põtificiæ Maieſtatis ſymbolum) dempto omni prorſus aculeo,pœna ſcilicet,ac ſupplicio amplum,ſolummodo Regiæ beneficentiæ locum, authoritatemq. reliquere. At verò exiſtimandũ eſt, non immerito eos datos tãtæ libertatis cuſtodes,ac Dominos, qui ſumma animi mode-

ra-

ratione ita viuunt,vt dum Reges ſibi eligunt ad honores, & præmia,ſolam rectè viuendi normam ſibi legem faciant,atq; à ſe ipſis liberrimè, ac ſanctiſſimè regantur. Tantum verò abeſt,vt diminuatur exinde Regia authoritas,vt potius,quærulis iudiciorum clamoribus,minus obnoxia,in procurandis Reip. commodis,in ſubleuanda ingeniorum fortuna,in erigenda fortiorum virtute,magnanimo,ac plane regio niſu tota melius occupetur;ac Princeps,ſecluſo procul odio,de ſubditorum amore certior,effuſo liberè proſequentiũ obſequio, perfruatur abunde. Vladislaus certe omnium Regum in captiuando populorum Amore fęliciſsimus,vnicus habitus eſt, cui vniuerſa liberi Regni Nobilitas tota communi plaudentium voce colla ſubmitteret, eiuſq. fortunam, imò ſingularem in re bellica virtutem,ſubſecuta illicò de Moſcis victoria fæliciter probaret. Vladislaus,inquam,Moſcorum domitor,Turcarum terror,proximum Succorum exitium: Qui ad tantæ Reip. fortunam natus,triumphos coronæ præmiſit, vt quam alij naturæ beneficium, is præmium virtutis agnoſceret,ac ſponte oblatam,Auguſtiori nomine poſsideret. Debebatur tamen tanti Regis Heroicę ſapientiæ;nam ſi cuipiam, hominibus indita libertas ſubdere ſe debet,cui melius,quam ei,qui ſingulari iudicio præditus, naturam quodámodo prętergreſſus,ſupra mortales eſt,eorumq. facta maturè diſcernit, atq; diſtinguit. Propterea non immeritò aiebat Sapiens. Oh fælicem Remp.quæ ſapientiſsimo Principi. Oh Principem verè beatum,cui optimi parerent. Nempe hoc etiam huius Reip.fælicitati accedit,vt quò mitius Regis imperium agnoſcunt ſubditi,eò libentius ad ipſum accurrát,ac corporis,fortunarumq. diſpendia vltro ad ſalutem Principis patiantur. Aderam in caſtris ad Derſauiam,cum ſubita,atq; improuiſa fędifragi Guſtaui excurſione arderet Pruſsia; deficiente tunc

mi-

milite atq; exhausto ærario, officiosis litteris vocabatur in castra Nobilitas. Videre erat enascentem vndiq; Militem, expansa vexilla, atq; integros ad Regē accurrētes Nobiliū exercitus. Dixisses Amicorum Regum, ac Principum aduētare auxilia, cum nonnisi Nobilitas effuso in Regem obsequio, plusquam triginta hominum millia sponte ingenua liberalitate armasset. Id etiā agunt quotidie Russiæ Principes, ac Regum more ad publicam salutem integras alunt Militum legiones, rarum potentis, atq; obsequentis populi exemplum. Inter hos videre est Magnū illum Lubomirscium Russię Palatinum Visnitiæ Comitem, cui olim acclamantis exercitus fauore, cum Resp. ab Ottomannorū armis tam fortiter appeteretur, vacans in castris est delatū imperium: vt scilicet triūphum mox ageret in terris, quem Dux alter in castris morbo sublatus agebat in C[illegible] Sic Vi[illegible]ouecij Sartoricij Zaslauiēsis [illegible]q; Ostrogij Duces. Sic Potocij Sienauij Tyschieuitij Zolcheuij Ostrogij, ac fortissimi Daniellouitij, alijq. sexcēti, hanc Spartā continuò suis armis, suo milite defendunt. Quid dicam de ipso supremo tantorū Militū Imperatore Koniecpolscio, cuius ludicræ venationes sunt, certare cum Tartaris, eosq. à Regni limitib. assidue repellere. Quales laureas promeritus est ad Amerstinum, cum non ita pridem integrum hostilē exercitum suo parem, nisi superiorē, caudina pactione supplicem sese, Vexilla Ducesq. Strefium, ac Teufeliū deuinctos sibi dedentem vidit? Quales, cum ferocem illū Baudisiūm sua manu saucium deiecit ex equo, captiuum retulit ad castra? Quales, cum Pucēsem Portum nouo, atq; inaudito opere excitatis in ipsa Marina glacie aggeribus, ad deditionē cōpulit? Quales cūm Gustauum illum, adeò toti Europę terribilem, tot annis ita coercuit, vt signa contra ipsū explicare nuspiam ausus fuerit, aut Arcem nonnisi astu tētare? Quales

de-

demum cum hisce ipsis diebus Abazam Bassam Asiatica rebellione famosum, atq; ipsi Ottomanico Imperatori formidatum, armatum duplici, atq; immẽso Turcarum, ac Tartarorum exercitu, Regni viribus alibi fæliciter occupatis; ipse solus paruo milite compescuit, incredibili affecit damno, atq; vt turpiter à finibus recederet, coegit? Quid in tam breui spatio hic referam de Zamoscio illo fortissimo, ac doctissimo viro, cuius nõ minus partes sunt hostem oppugnare in castris, quã ciues, contraria sentientes, singulari sua eloquentia peruincere, atq; in meliorẽ consiliorum partẽ pertrahere? Quid de Donouio Palatino Derpatẽsi magni nominis Viro, cuius cõsilia oracula, cuius amor summa fęlicitas, cuius amicitia cõstantissimum est beneuolentię ligamen: Qui deniq; cum in Regia gratia regnaret, nemini offensus, quod alibi inauditũ, vltima nõ labris, sed manu morietis Principis, nõ tamen gratiæ signa percepit. Quid de Casanouijs, quorum dum Alter Regia gratia floret in Aula, Alter insigni clarus titulo militat in castris, ac Regno victorias, Nobiliss. familię nouos parat triumphos? Quid de Sobiescio, qui quemadmodũ acer in armis, ita facundia potẽtissimus? Quid de tot Viris in Aula cõsilio, & authoritate pollentibus, præsertim ijs, qui insulis conspicui, cæteris antecedunt, Venzik, Zadik, Firleius, Lipsius, Ghembitius, alijque? Quid de Opalinio, Tencinio, Zebridonio, Daniellouitio? ac si ad Lithuaniam me referam, de Radziuilo, ac Sapia Senatus, vel Reipub. luminibus? Quid de Pazio, ac Vescelouio Senatoria prudentia, ac eruditione clarissimis? Sed quales demum honores promereris in Repub. vel in Te meretur tot virtutũ fęcunda parens Respub fortissime, sapientissime, atq; eloquentissime Procerum, nõ minus olim armis in Moscouia, quàm Legationibus in Anglia, atq; hic nuperrime gloriosus. Habuisti nunc tuarum virtutũ spectatricẽ, atq;

ad-

admiratricẽ Romam;Romã,inquã,cuius tam præclaro iudicio Tibi vnice plaudenti quicquã addere,nec mea tenuitas, nec Tua modestia ccrã permittit. Hę ſanè ſunt pręclarę,atq; vnicę florentisſimę Reipub.laudes. In his magnanimæ Prolis honoribus verè triumphat glorioſa Mater. Illa,quæ nuper ſuorum virtute proſtratos captiuos ad pedes vidit peruicaces Moſcorũ tyrãnos,eoſdẽq. liuida rabie hauſto veneno,moriẽtes tumulauit in ſinu. Illa Sarmatia,quæ nunquã pari cũ hoſte cõgreditur:ſed hoſtilẽ numerũ viuida ſemper ſuorum virtute cõpeſcit. Sarmatia ad vincẽdum alacris,ad oſtentãdã Victoriã minime propẽſa;& quæ illuſtrẽ ſuarũ Victoriarũ ſplẽdorẽ eluceſcere potius ambit in æuũ,in obſcuris quãtumuis hiſtoriarũ caracteribus, quã momentanea põpa inter ambitioſos ignes cũ facibus extingui. Fęlix illa Sarmatia, cui licet aurum nõ pariant Indicæ auri fodinæ, immẽſi tamen adeò, emisſis frugibus ad eã cõfluunt pecuniarũ Theſauri, vt amplisſimi Regni valeat explere deſideriũ. Illa demum Sarmatia, quæ potẽtisſimi Turcarũ Tyranni vires ſola ita cõfregit, vt, poſtquã tam inſigni ſuſcepta clade, à finibus abſcesſit ingloriius,tanquã lethali vulnere cõfectus,nec animũ reſumpſerit, nec quippiã fælicius vſpiam tentarit. Cadet adhuc tandem eadẽ inuicta dextera,nõ quidẽ auſpicijs, ſed ductu Vladislai fortisſimi Regis,cui nil antiquius,nil optatius,quã tot perditas Chriſtianorũ Prouincias,nõ ad ſui obſequiũ:ſed ad libertatẽ,quę ſola Polonorũ armis exquiritur,reducere. Perennet igitur ad ſui gloriã,ad totius Chriſtianę Reip. beneficiũ glorioſũ Regnũ. Perẽnet florentisſimę Reip.ſanctisſimum inſtitutum. Perẽnet Inuictisſ. Regis Immortale Nomen; ac me demum tantum argumẽtum inter Aulę ſtrepitus,atq; Vrbanos tumultus,in tã paruo ſpatio, tã frigide, tã temere includere volentem, Auditores mei ſolita benignitate excuſent.

D I X I.